BN Lat. 3343, f. 45v

Primas cum intraret scolas Aurelianis semper incipiebat intrando unum versum ut videret si aliquis clericorum suorum sciret cito perficere et finire et unus eorum sciens quod Primas suspicabatur de sodomia respondit et finivit versum sic inceptum per Primatem

Primus erit Primas. melior muliere tibi mas.

f. 51r

humilitas — Tu tibi displiceas nec pompam dilige nullum
spernito nec laudis sis tibi precupidus — superbia

karitas — Tu bona diligito. nec rodito prospera. cela
turpia nec fratris tu probra nudifices — invidia

paciencia — Cor tibi mitifica nec bellum querito. rixas
despice nec motus fit tibi predominans — ira

largitas — Da tua nec propria teneas. sed munere largo
fundito tu gazas nec bona connumerules — avaricia

diligencia — Sollicitus bene sis. nec sompnum dilige vita
ocia non teneat te pigra mollicies. — accidia

abstinencia — Delicias fuge nec facies te. Dulcia sperne
pocula. nec carnem reprimat ingluvies — gula

castitas — Mundiciem gere nec macules te lubrica mundi
Respue. nec vanis subiaceat tua mens — luxuria

Recte metra lege tali salvabere lege
Retrograde que legas. te sic ad Tartara legas.